



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1719. usque ad annum 1720

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 19. Articulus VI. De Regulis in administrando Sacramento Pœnitentiæ  
observandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67659](#)

tequam actu suscipiatur, hominem Deo Sæc. XVIII.  
reconciliat. Alterum, ne quis putet in A. C. 1720.  
utroque sacramento securum se esse, si  
præter fidei & spei actus non incipiat  
diligere Deum tanquam omnis justitiae  
fontem .,,

Hæc est doctrina Cleri Gallicani,  
quam non tangit censura Pontificia  
contra errores hic expositos lata.

### §. XIX.

#### Articulus VI.

#### *De Regulis in administrando Sacra- mento Pænitentia obseruandis.*

De assistentia S. Sacrificio Missæ.

De oratione impiorum.

Ecclesia ad nullum extremum declinans semper censuit, ut ait S. Greg. Nazian. (a) in eodem vitio esse indulgentiam omnino animadversionis expertem, & condemnationem venia omni carentem, illam omnium omnes habendas laxans, hæc ob vehementiam strangulans. Eapropter Ecclesia condemnavit severitatem Montanistarum & Novatianorum, qui peccato-

L1 2                   ribus

---

(a) Orat. 39. tom. I. pag. 605.

Sæc. XVIII. ribus spem reconciliationis (b) præfuerunt  
A. C. 1720. derent, & damnavit pernicioſam induſtria-  
gentiam quorumdam Sacerdotum (c)  
qui infausta facilitate cunctas discipli-  
næ regulas everterunt.

Utrique vitio obviaturi Sacerdotes  
ſint memores, ſe ſolvendi & remittendi  
pariter & ligandi, ac peccata retinendi  
potestatem accepiffe; non ergo ligari  
aut absolvant in terris niſi quos a Christo  
in cælis absolvi vel ligari cenſent, ſed  
juxta Concilium Romanum (d) in ad-  
ministratione Sacramenti pœnitentie  
eo utantur temperamento, ut impioſi  
homines nec pravam noſtram laudent fa-  
tatem, nec vere pœnitentes accuſent noſtri  
quasi duram crudelitatem.

Ex præscripto Tridentini (e) con-  
derent I. quod ad perfectam remi-  
nem peccatorum in hoc Sacramento  
perveniri nequeat ſine noſtris magna-  
tibus & laboribus. II. Quod contri-  
non modo in cessatione a peccato, ſed  
initio vitæ novæ (f) conſiftat, ſed e-

(b) Tertul. I. de Pudic. S. Cyprian. ep. 5.  
ad Anton. S. Pacian. Ep. ad Simpr. a Nova.

(c) S. Cypr. ep. 45. & 50. Ep. Cleri Rati-  
ad eundem tom. I. Conc. Labb. p. 663.

(d) Ep. Cler. I. c.

(e) Seſſ. 14. cap. 2.

(f) Trid. Seſſ. 14. c. 4.

tiam detestationem peccati, & conver- Sæc. XVIII.  
tionem cordis includat. III. Quod Sa- A. C. 1720.  
cerdotes teneantur injungere pœniten-  
tias proportionatas, quæ simul sint fa-  
tisfactoriæ & medicinales (g). Hæc  
exigunt Concilia (h) Pontifices (i) Pa-  
tres (k) &c. utilissimum quoque est,  
ut Pastores suis pœnitentibus propo-  
nant antiquam Ecclesiæ severitatem, *Contra*  
qua magni peccatores canonicam *Propositio:*  
pœnitentiam facere tenebantur, prius *LXXXVIIII*  
quam fuerint reconciliati, ut exemplo *LXXXVII.*  
primorum Christianorum pœnitentes  
animentur ad se humiliandum, & pro-  
ficiendum de indulgentia, qua hodie  
Ecclesia utitur erga eos, dum illos ante  
satisfactionem reconciliat, postquam  
sinceræ conversionis signa dederunt.

Absolutio in pluribus casibus & cir-  
cumstantiis est differenda, v. g. pecca-

L 1 3 tis

(g) Ibid. cap. 8.

(h) Conc. Nic. I. c. 11. & 12. Ancyrl. c. 4. 5.  
& seqq. Neocæs. c. 2. Laod. c. 2. Tolet. III.  
cap. 11.

(i) Dist. L. apud Grat. Innoc. I. ep. 1. n. 7.  
S. Leo ep. ad Rust. Narb. S. Greg. Hom. 26.  
in Evang.

(k) Ep. can. S. Greg. Thaum. S. Basil. ad  
Amph. S. Greg. Nyff. ad Læt. S. Ambr. l. 2. de  
Poenit. c. 9. S. Aug. Ench. c. 65. Serm. 35<sup>1</sup>.  
Hom. 50, de Pœnit.

Sæc. XVIII. tis enormous aut publicis, peccatis  
A. C. 1720. consuetudinis, vel in occasione prouma peccati mortalis, in casu restitutio-  
 nis, vel reconciliationis denegata nequiter dilatae, conversionis æquivoca & generaliter in omni casu, quo pes-  
 tens vel non sufficienter instructus dispositus esse videtur.

Reprobat tamen Ecclesia immo-  
 ratam Confessariorum duritiam, quod  
 quolibet peccato, etiam poenitentibus  
 sufficienter dispositis vellent non minus  
 imprudenter quam injuste differre ab  
 solutionem, & quasi pro Christi pre-  
 cepto in ipsa peccati natura & peni-  
 tentiae fundato haberent, quod par-  
 tens semper ante absolutionem teneantur  
 vel ex toto, vel ex parte satisfacere.  
 Et id condemnavit Bulla Unigenitus.

**Contra**  
**Propositio:** Olim peccatores magni non per-  
 mittebantur assistere celebrationi SS.  
**LXXXIX.** Mysteriorum, hodie ex sola Ecclesiæ  
 indulgentia illis assistunt, unde hodierna  
 disciplina non est damnanda, que  
 non modo Peccatoribus, ut afflita  
 permittit, sed eos etiam urget, & in  
 diebus Dominicis & festis assistant, ob-  
 ligat, quia sperat Ecclesia, quod haec  
 divina Mysteria ipsis terrorem instillent,  
 & resuscitata eorum fide, a Deo con-  
 tritum & humiliatum, quod est verum  
 Sacrificium cordis, exoratur sint.

Tr

Tridentinum (*l*) tantum excludit pec- Sæc. XVIII.  
catores publicos, & notorios (*m*) præ- A. C. 1720.  
cipit etiam, ut hi agant pœnitentiam  
publicam, Episcopis tamen eam, si bene  
visum fuerit, in secretam commutandi  
relinquit libertatem: Patres vero Con-  
cilii nonnisi de peccatoribus publicis  
loquebantur, & sub nomine pœniten-  
tiæ publicæ nec intelligebant exclusio-  
nem ab assistentia Sacris mysteriis nec  
omnes actus laboriosos & humiliantes,  
qui circa publicos peccatores in anti-  
qua disciplina observabantur.

S. Carolus Confessariis præcepit,  
ut versati sint in Canonibus Pœniten-  
tialibus eo fine, ut peccatores edocere  
queant, quanta ab eis exegerit vetus  
disciplina, non tamen Confessariis sese  
toti rigori antiquorum Canonum con-  
formandi libertatem reliquit, nec e-  
tiam permittenda sunt omnia, quæ ad  
disciplinam Tridentini Regulis & ho-  
dierno Ecclesiæ usui contrariam confe-  
gunt. Hanc temeritatem Pontifex re-  
primendam censuit.

Peccatores, qui humiliter & fidu- *Contra*  
cialiter licita & ad salutem utilia pre- *Prop. LIX.*  
cantur, non modo non coimmittunt  
novum peccatum, sed eorum oratio

L 1 4                    potest

(*l*) Sefl. 22.

(*m*) Sefl. 24. de Ref. cap. 8.

Sæc. XVIII. potest exaudiri, de illis vero peccatis  
A.C. 1720. ribus & impiis, qui cum superbia &  
hypocrisi sicut Phariseus, orant, dicendum,  
quod eorum oratio sit Deo execrabilis.

## §. XX.

## Articulus VII.

*De Excommunicatione.*

**C**redendum est I. quod excommunicandi potestas sit portio potestatis clavium, quam Christus immediatus suis Apostolis, & in eorum persona Episcopis illorum successoribus posse a Spiritu S. regere Ecclesiam suam (n) dedit: Juxta S. Patres dici potest, quod clavium potestas data fuerit Ecclesia & Unitati, de Ecclesia enim recte dici potest, quod sit unum corpus, & una Societas, quæ habet & possidet, quod quid præcipuis ejus membris ad utilitatem omnium aliorum a Christo datum est, & quia primarii Pastores rerum Senatum, verumque Ecclesia Tribunal constituant, & sunt ipsimet Ecclesia docens, Ministri autem secundi Ordinis non possunt docere aliter, quam

XII. p.

(n) Matth. c. 18. v. 17. S. Chrys. tom. 6.  
in Matth. S. Aug. tract. 50. Joan.

(o) Act. 20, v. 28.

*Contra  
Prop. XC.*